

**Disputatio medica inauguralis, de rubeola ... / [John Perkins].**

**Contributors**

Perkins, John.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Typis Georgii Mudie et Filii, 1797.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ppzjdjz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

40488/P

---

# DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

# RUBEOLA.

---

## CORRIGENDA.

- Pag. 2. lin. 20. *pro impromtu lege* in promptu  
— 5. — 1. *post natum, insere* sexcentesimo,  
— 7. — 4. *pro atqui, lege* atque,  
— 11--12. *pro Europae, signo cruce atque magno exercitu,*  
*lege Europae magno exercitu, atque signo cruce,*  
— 9. — 1. *pro omin—lege omni—*  
— 20. — 7. *pro pulmonem lege pulmonum*  
— — — 11. *pro non unquam lege nunquam*  
— 22. — 8. *pro potuerint. lege* potuerunt.  
— 26. — 13. *pro incitantur, lege* incitarentur,  
— 29. — 9. *pro purae lege* pureae  
— 31. — 9. *post est, insere* dignoscere,  
— 34. — 3. *pro creat lege* creet  
— — — 17. *pro aptum, lege* aptum reddere,  
— 35. — 15. *pro id circo lege* idcirco  
— 37. — 4. *pro capit, lege* capiat,  
— 39. — 9. *pro pollebunt. lege* pollebit.  
— 41. — 6. *pro novârunt. lege* navârunt.

# DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

## R U B E O L A;

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Autoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

### Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES PERKINS,

A N G L U S.

---

—Οὐδὲ φθορὰ ὅτας ἀνθεώπων ἔδεικται ἐμημονεύετο γενέθαι· ὅτε γάρ  
ιατροὶ ἡρκεν τοπεῖτον θεραπεύοντες ἀγροίς, ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἔθησ-  
κον ὅσα, καὶ μάλιστα προσήσαν, ὅτε ἄλλη ἀνθεώπεια τέχνη ἔδεικται.

THUCYD.

---

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

---

EDINBURGI:

---

C U M P R I V I L E G I O.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

---

1797.

Lac amoris fraterni pignus,  
Frederico suo dilectissimo,  
voluit,      Joannes Perkins.

Idibus Junij 1797.  
Acad: Edin:



46405


PATRI  
INDULGENTI OPTIMOQUE  
JOANNI PERKINS,

QUI  
PATERNA CURA ET AMORE,

ILLUM  
EDUCAVIT,  
ET LITERIS INSTITUIT,  
HANC DISSERTATIONEM,

PIETATIS  
TESTIMONIUM,

D. D. C. QUE  
JOANNES PERKINS.



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30385726>

ROBERTO BARCLAY,

LITERARUM SCIENTIARUMQUE

PATRONO,

ILLAS

STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMO GRATO,

ET SUMMA REVERENTIA,

D. D. C. QUE

A U C T O R.

---

Ηρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ  
Αἴγυπτου, ἐπειταδὲ καὶ εἰς Αἴγυπτον καὶ Αἰθύην κατέβη, καὶ εἰς τὴν  
Βασιλέως γῆν τὴν πολλήν. ἐς δὲ τὴν Αθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως  
ἐνέπεσε. καὶ τοπρῶτον ἐν τῷ Πειραιῇ ὥψατο τῶν ἀνθρωπῶν.

PRIMUM autem hic Morbus, ut fertur, initium duxit  
ex AETHIOPIA, quae est suprà AEGYPTUM; deinde verò  
et in AEGYPTUM et AFRICAM descendit, et in magnam  
partem regionis Regis Persarum. In ATHENIENSIMUM  
porro civitatem derepente incidit, ac primum in Piraeo  
homines tentavit.

THYCYD.

DE PESTE ATHENIENSIMUM.

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

*R U B E O L A.*

JOANNE PERKINS, AUCTORE.

MORBUS de quo pauca scribere nobis  
consilium est, medicis cùm Graecis tum  
Romanis omnino, uti videtur, ignotus erat.  
Saltem a nullo medicorum, quorum scripta ad  
nostra tempora pervenerunt, aut hic morbus,  
aut Variola, aevo aequalis, cuique cum eo  
multa communia sunt, luculenter descriptus  
est.

A

Apud

Apud quos vetusti scriptores priores partes habent, ii, verbis **GALENI** aliorumque tortis, tam Rubeolam quam Variolam Græcis et Romanis notam esse contendunt. Verum ad fidem difficile est, scriptores ingenio praeclaros, qui signa morborum, quibus sui cives plectebantur, tam fusè dixerunt tamque dilucidè, illas pestes, si notae, silentio praeterituros fuisse, verbisve adeò ambiguis descripturos, ut de aliis quibusdam morbis, quibus itidem efflorescat summum corpus, pariter dici possint.

Quinetiam hi morbi, qui, tanquam cognati, per Europam, quibusdam abhinc faeculis, grasseti sunt, tantamque incolis stragem dederunt, apud antiquos Graecos atque Romanos, si his fuissent noti, sicut unicuique hominum apud nos, metum pro se et caris liberorum pignoribus movissent; et haud dubiè commisissent, ut praeclara scriptorum ingenia, ad quae, utpote aeriora et magis impromptu habita, incitandum paucioribus stimulis opus esset, eorum et vim et foeditatem dictis exaequarent.

His

His rationibus inducti, putamus Rubeolam juxta, atque Variolam et Luem venereum, antiquioribus Europae incolis, morbos prorsus ignotos fuisse. Hi morbi vel rares infantes faciunt, vel memorem summo corpori deformitatem relinquunt. Recentiores auctores, quibus eos describendi munus relictum est, hoc adeò luculenter exsecuti sunt, ut, ni opus esset ut academiæ constitutis morem gereremus, de Rubeola scribere prorsus supervacaneum foret.

Quin tempore, quo Europae primùm incubuerunt, Rubeola et Variola multò quam nostris temporibus, lethaliores essent, dubitari non potest. Verùm, labentibus annis, medici, optimâ curandi ratione proprio aliorumque usu cognitâ, earum vim usque eò minuerunt, ut pauciores multò, quam olim, absumant et deforent. At, quo tamen tempore in Europeos Rubeola primùm ingrueret, incompertum habemus ; ex incertis enim de origine assump- tis certa non possumus concludere.

Literis scientiisque, anno quingentesimo vi-  
gesimo secundo post CNEIUM POMPEIUM apud  
PHARŚALIAM acie a JULIO CAESARE victum, et  
post CHRISTUM natum quadringentesimo sep-  
tuagesimo sexto, occidente Romanorum im-  
perio expulsis, philosophi patriâ profugi, et  
novas fides quaerentes, in Arabiam, cum libris  
quotquot secum potuerunt transportari, migrâ-  
runt. Ibi non multò post Arabici, advenas imi-  
tati, ad artes scientiasque ediscendas operam  
itidem conferre cœperunt.

RHAZES, medicus Arabicus præclarus in-  
primis, signa cùm Rubeolae tùm Variolae, at  
confusè et permistè, velut si quoad curationem  
unum morbum habuisset, scriptis tradidit  
quæ etiamnum supersunt. Verùm certiores  
nos facit, AARONEM quendam, et genere Ara-  
bicūm, ante eum de Variolis scripsisse. Hic  
auctor Rubeolam primus, quoad scimus, de-  
scripsit, sed non sicut morbum qui tunc pri-  
mùm apparuit.

Inter ARABES, Rubeola stragem edere pri-  
mùm

*sexcantesimo*  
mùm incepit, anno post CHRISTUM natum, vigesimo secundo, quo tempore a MECCA ad MEDIANAM MAHUMETES fugit. Hoc circiter tempore, sicuti a quibusdam chronologis accipimus, vel aliquantò antè, magna vis morbi invasit, quæ contactu latissimè celerrimèque vulgata est, et plurimos absumpsit; neque ante quinquaginta dehinc annos, remisit. Hunc morbum Rubeolam fuisse, vero haud absimile est; nam, eo tempore, omnis morbus, si paulo lethalior, pestis nominatus est.

Hic loci quaeri potest, quamobrem non ante hoc tempus vulgata Rubeola fuisse. Ad hoc quæsitum respondeatur, antiquitus inter diversas gentes mercatores rariùs, quam nunc, ultrò citròque commeâsse, neque navibus cursum, per invia maria, indice nautica dirigere didicisse: sed mercatoribus, incredibile memoratu est, hac indice a GIVIA Neapolitano anno 1302 fabricatâ, et post aliquantò patefactâ, quám brevi cuncta maria terraeque paterent, atque morbi complures, antea, juxta ac merces,

gentium

gentium quarundam proprii, generis humani  
communes fierent.

Tempore, quo diximus, tanta cupido domi-  
nandi ARABES incesserat, ut MAHUMETE au-  
spice et duce, triginta annis, plurimos populos,  
antea ne quidem nomine notos, sub ditionem  
redegerint, atque imperii juxtâ ac religionis  
fines longè latèque invictâ virtute et ferro  
protenderint. Neque solùm victis libertatem  
eripuerunt, sed etiam importârunt novos  
morbos Rubeolam nempe et Variolam, qui con-  
tactu, aegrorum curatione, aëreque exhalationi-  
bus ex aegris corporibus infecto, inter eos, qui-  
bus ferrum pepercerat, brevi vulgati sunt, at-  
que plurimos rapuerunt.

Rubeolam in mediterraneis AFRICAE regioni-  
bus ortam esse MEADIUS censet\*. Sed hunc  
morbum, undecunque primam originem duxe-  
rit, satis constat, per SYRIAM, PALESTINAM, et  
PERSIAM, neque ita multò pòst, secundum  
maritimam

\* Vide MEAD. de Variol. et Morbill.

maritimam ASIAE oram, in LYCIAM et CILICIAM, a MAHOMETANIS disseminatum fuisse; unde per locos AFRICÆ Mediterraneo Mari proximos grassatus est, atquæ hinc fretum navibus transgressus in HISPANIAM, totam brevi EUROPAM peragravit.

At non uno tempore nedum itinere importata in EUROPAM Rubeola est. Nostri enim majores, religiosissimi homines, atque se divino spiritu instinctos perperam rati, in Asiam minorem, coacto undique Europæ, signo cruce atque magno exercitu, quod SARACENIBUS PALESTINAM reciperent, iter, per varios casus multaque rerum discrimina, inauspicatò fecerunt. Hinc post incertum Martem, et magnam cladem datam et acceptam, tandem re infecta, atque exercitu caede, fame, plurimaque mortis imagine, raro, Europam redierunt, et novo tabo allato, inter suos quisque cives, Rubeolam Variolamque longè latèque vulgârunt.

Rubeola, postquam per totam evagata erat  
EUROPAM

Europam, nonnunquam vi ejus aëre aliisve causis cohibitâ, inducias dedit, neque multò post, sicuti interquiescendo refecta, et novam nacta occasionem, denuò ingruit in infantes ac pueros, atque multos orco dedit. Nullus, enim verò, vel nostris temporibus, ferè hominum est, quin seriùs ociùs hoc morbo semel plectatur.

Variolae, cui cum Rubeolâ tanta similitudo est, ut verissimè possit dici, utrisque esse nec faciem unam, nec diversam tamen, sed qualis solet esse sororum, vis et lethalitas insitione tabi, quæ haud ita pridem inolevit, usque eò minuta sunt, ut, qui hinc morbum, corpora alioquin sani, nacti sunt, rarissimè moriantur, vel fiant ore deformes.

Quia verò Variola, ex quo tempore mos inserendi invaluit, longius latius evagata est, idcirco, ut nonnulli contendunt, tot, nostris quidem temporibus, quot olim, imò forsitan plures, morbo haud insitione tabi vulgato, quotannis absumuntur. Verum probabile tam

men

men est, si ubique terrarum, communi omnium consensu, parentes liberis Variolam insitotabo simul impertirent, fore, ut hic morbus prorsus, vel saltem ferè prorsus, stirpitus exigeretur.

HOMIUS Edinburgensis, qui de medicinâ et hominum salute optimè meretur, periculo iterum iterumque compertus est, Rubeolam itidem inseri posse, neque hunc morbum minùs, quam Variolam insitione mitescere. Cùm ita sit, quare non omnes medici, Homio duce, quam monstravit viam sequuntur?

### DEFINITIO.

RUBEOLA a CULLENO definitur,

“ Synocha contagiosa cum sternutatione,  
“ epiphorâ, et tussi siccâ rauçâ.”

“ Quarto die vel paulo seriùs, erumpunt pa-

“ pulae exiguae, confertae, vix eminentes; et

B

“ post

“ post tres dies, in squamulas furfuraceas mi-  
“ nimas abeuntes” \*.

## HISTORIA MORBI.

RUBEOLA a febre acutâ et ardente plerumque incipit. Interdum verò, unà cum signis hujusmodi febris, manifesta ad putredinem proclivitas corpori inest. Hic morbus ferè grassari incipit, Decembris ac Januarii mensibus secundum SYDENHAMUM, vehementius latiusque evagatur usque ad aequinoctium vernum, quo ferè tempore, vis ejus infestissima est. Simul autem ut eò increverit, aliquantis per consistit; tum paulatim inclinat; atque tandem, mense Junio Juliove, omnino decedit. Nostris temporibus verò non semper, cursu tam aequali, gaudet. Decessus verò Rubeolae hoc tempore, haudquaquam perpetuus est.

Verum,

\* Vide Cullen. Synops. Nosol. Method. tom. II.

Verùm, siquando tunc moretur, duntaxat rāros plerumque et sparsos invadit, neque ferè unquam, sicut pestilentia, grassatur. Adventus, progressus, et decessus Rubeolae, anni, uti videtur, temporibus conservantur. Appetente enim brumâ, morbus ex latebris, hominum, maximè tamen infantum, generi infestus effugit; hiemali tempore, saevior indies grassatur; vere ineunte, inclinat; tandemque, aestate adultâ praecipiteve, in latebras regreditur. Quae autem sint coeli proprietates, quibus Rubeola modò increscit, modò consistit, modò inclinat, ac desinit, clare exponere, philosophi nondum potuerunt. Satis verò constat, frigus vim destillationis, quae Rubeolam comitatur, plurimùm intendere.

Rubeola nequaquam solus morbus est, qui, coeli proprietatibus afficitur. Alii enim morbi plurimi, qui febrem habent, proprietate quadam aëris et frequentiores redduntur et vehementiores. Pestis nempe, aliique morbi pestilentes, nisi primâ in urbem ingressione, quae-

dam aëris gravitas ad vulgandum conspiret, vel prorsus innocua fiunt, vel multum minuantur. Sic putavit MEADIUS, qui his verbis loquitur.

“ Tabum enim, quod ex pustulis effluit, in stragulis ac vestimentis aegrotorum conceputum, ibique haerens et delitescens, fit morbi seminium, in iis mox pullulaturi, in quos sparsum fuerit contactu; praesertim si anni tempestas atque aëris conditio foverint”\*.

Forsan ex quadam aëris proprietate fit, ut Rubeola nonnunquam inflammationis notis insigniatur, nonnunquam putredinis. Diaeta enimvero, et aegri corporis proprietas, etiam aliquā ex parte, committant, ut Rubeolā implicitorum humores, apti supra consuetudinem evadant, qui vitium capiant. At diaetam et corporis proprietatem per se efficere,

ut humores ad putredinem nimis vergant, non posse, eo satis constat; quod in valetudinario, mēritōtēs Bestis nēmēe simile morti besti-

\* Vide MEAD, de Variol, et Morbillis.

in quo aegri, quorum valetudines regebat Watson, medicus multi nominis, vitae et victimis communitate utebantur, putrescentium humorum signa, quae apparebant, neutquam omnium Rubeolâ aegrorum communia erant.

Contendit WATSON, id quod ipse observavit, duas Rubeolae species, haud secùs atque Variolae, genere convenire, at signis multùm discrepare. Rubeola enim putrida, uti censem, aliam speciem, quam inflammatio comitatur, vi signorum, et periculo quod affert, tantùm excedit, quantum Variola confluens Variolam discretam.

Rubeola infantes, utpote qui prae aetate aptiores sint, qui tabo pestilente afficiantur, quam adulti, potissimum invadit; et per pauci prius pubescunt, quam eâ correpti sunt. Semper lethalior est in urbibus populo opulentioribus, quam in oppidis vicisve rarioribus, non salubriorem modo perflatum habentibus, verum in quibus pauciores etiam infantes simul implicantur.

Foeminae

Foeminae hysteriae obnoxiae, sicubi in Rubeolam incident, anxietate, spirandi difficultate, angustiae in faucibus sensu afficiuntur; neque, enimvero, dum his malis vexantur, signa Rubeolae propria apparent.

Infantes, qui tabo Rubeolae infecti sunt, nonnunquam, ineunte morbo, cute nondum papulis efflorescente, morbo comitiali corripuntur; sed in Rubeolâ forsitan, haud secùs ac in Variolâ, hoc signum raro mali ominis est.

Sanguis detractus ex iis, qui Rubeolâ inflammationem habente laborant, pelliculâ albido corium colore simulante, qualis omnium morbis inflammationem habentibus aegrorum, sanguini superincrescit ac supernatat, frigescens contegitur, sed quoad caetera sanus appetet.

A compluribus auctòribus gravibus fidisque in primis accipimus, Rubeolam et Variolam eundem simul hominem invadere posse. Hoc verò negant JOANNES HUNTERUS, aliquique probi auctores, propterea quòd aliquis, tabo pestilenti

lenti utrorumque simul morborum **expositus**,  
altero duntaxat corripitur.

Atque censem Rushius Philadelphiensis, ne-  
minem duobus simul morbis, vi aequalibus,  
posse laborare \*.

Mense decembri anni post CHRISTUM natum  
millesimi septingentesimi nonagesimi sexti,  
infantem Variolâ discretâ laborantem vidi,  
qui tabo pestilenti Rubeolae priùs **expositus**  
**erat**, quām Variolae. Per paucos antē dies,  
quām Variolis cutis efflorescebat, magna ex  
naribus destillatio erat, atque palpebrae, sicut  
eae Rubeolâ implicitorum, erant purpureo  
colore saturae. Simul erant circa praecordia  
gravitas, atque spirandi difficultas. Nihilò  
tamen minūs papulae, quibus cutis exaspera-  
batur, Variolam manifestârunt. Ex hoc mor-  
bo infans ad pristinam sanitatem pervenit, ne-  
que deceidente eo, Rubeolâ affectus est. In  
hoc infante febrem, quae papulas Variolae  
praegressa

\* Vide RUSH on the Yellow Fever.

praegressa est, haud secūs ac eam quae lenticas Rubeolae, destillatio comitata est; neque sanè erat, quamobrem, frigore ortam esse existimarem.

Ineunte Rubeolâ mitiore, aeger inalgescit et inhorrescit, neque raro frigus et calor corpus vicissim permanat. Aliquantò autem post, aeger incalescit, sitit, parum appetit, fastidit, imò interdum evomit. At haec tamen signa nequaquam omnibus aequè vehementia sunt.

Lingua inalbescit, at humida est; atque comitatur, nonnunquam antegreditur, tussis, quae ab iis, qui tales ante audiverint, facile cognoscitur.

Paucos ante horrorem dies gravedo est, adeoque intumescunt palpebrae, ut si infanti, dum grassatur Rubeola, et postquam fuit, quod huic expositum esse suspicemur, intumescant, accessus hujus morbi expectandus est. Simil est spirandi difficultas, quae, magna si sit, periculum minitatur. His malis increcentibus, summa cutis, quarto quinto sextove diebus, lenticulis

lenticulis maculas, quas pulicum morsiunculae faciunt, simulantibus efflorescit. Hae verò lenticulae cutem adeò parum exasperant, ut manibus magis, quàm oculis, paululùm extare percipientur. Si plurimae sint in eodem loco confertae, coalescunt, et cutem profundunt manifesto rubore.

Lenticulae primùm in faciem apparent, deinde per caeteras deinceps partes summi corporis. In extrema autem membra, adhuc minùs, quàm in faciem eminent. Lenticulis provenientibus, febris, caeteraque pleraque signa molesta, quae illas praenuntiârunt, plerumque adeò non mitescunt, ut intendantur. Spirandi in primis difficultas multò, quàm antea gravior est. Rarò autem pòst, quàm apparuerint papulae, urget vomitus \*.

## C

## Lenticulae

\* TISSOTIUS ait (“après l'éruption), les vomissemens cessent, il est vrai, presqu' entierement, mais la fièvre, la toux, le mal de tête continuent”. Vide “Avis au Peuple,” tom. I.

Lenticulae paucos pòst dies, modò duos, aliàs sex, quàm iis variata sit summa cutis, arescunt. Facies aspera fit, atque, ex rubicundâ, subfuscâ; neque multos pòst dies, lenticulae ex cute resolutae sicut furfures, decidunt. Etiam in summum caeteri corporis vix ullaे nunc lenticulae remanent. Decidentibus autem lenticulis, cuticula et ipsa cùm membrorum tum trunci corporis, a subjacente cute squamatim resolvitur.

Lenticulis et cuticula décientibus, febris desinit; atque eodem ferè tempore, praeceps alvi profluvium subsequitur, quod, utpote salutare, non, nisi vires nimis dissipet, medicamentis sistendum est.

At, accedente et urgente Rubeolâ malignâ, quam perattentè animadvertisit, et descripsit WATSON, malis non per omnia iisdem aeger vexatur. Magna ipso initio debilitas est, dum sicut in mitiore Rubeolâ, oculi illachrymantur, et tussis urget.

Secundo die, magna vis febris est, capit  
gravedo

gravedo et dolor. Die eodem procedente, lenticularum eruptio incipit, et, praecipite in occasum, plerumque finitur. Tum autem febris et anxietas intenduntur: molestissima spirandi difficultas est: tussis vehemens, quā tamen nihil ex pectore redditur, urget; simulque signis haud ambiguis, pectoris inflammatio indicatur.

Cutis interea sicca est et arida; rubrae, nitentes, dolentesque fauces: arteriarum pulsus exiles ac celeres, sitis vehemens; permagna debilitas.

Tot, sicuti a WATSONE accipimus, tamque gravia mala, primo Rubeolae malignae stadio, aegrum premunt. Haec tamen mala levia sunt, prae iis, quae, evanescentibus lenticulis, et calore febris remittente, protinus subsequuntur.

Hoc circiter tempore, tussis, spirandi difficultas, praecordiorum gravitas, necnon inquietudo et anxietas, gravius, quam dum lenticulis efflorescit summa cutis, urgent. Oculi pejus

se habent. Minùs sanè inexplebilis sitis est; sed arteriarum ictus parvi sunt, celeres, inaequales, et exploratu difficiles. Vires, ferè ex toto, fugiunt, atque mortis praenuncium, accedit delirium.

Cadaveribus quorundam hoc morbo defuctorū, a Watsone incisis, Pleura pulmonum ei costarum hīc illīc adhaerens conspiciebatur; cavum thoracis effuso sanguine oppletum; non nunquam pulmōnes sphacelo corrupti. Pus verò non unquam reperiebatur; ex quo patēbat, inflammationem semper in gangraenam et sphacelum praecipitem transiise.

### CAUSAE REMOTAE.

Ex his causis nonnullae proclive in Rubeolam corpus faciunt; alia, proclivi jam corpore, morbum concitat.

Ad primum genus pertinet irritabilitas humani corporis, infantili potissimum aetate propria. Hanc ob causam, infantes saepius, quam

quàm adultos, Rubeola incessit. Illi enim, ut aliqui putant, prae acriore sensu et majore irritabilitate, quibus sunt sapientissimo rerum opificis consilio praediti, morbis inflammacionem habentibus magis, quàm qui jam adoleverint, obnoxii sunt.

Eodem genere comprehenduntur causae, quotquot hominum corpora perquam debilitant, muneribusque imparia reddunt. Haec faciunt magna vis tàm frigoris quàm caloris; pervigilations nocturnae; frequens nimis cum Venere consuetudo; ebriositas; vita sedentaria; fatigatio gravis, diuue nimis continuati laboris.

Porrò, dubitari vix potest, quin quaedam coeli conditiones committant, ut Rubeola tàm accedat, quàm, ubi accesserit, diutius grasseatur. Ignorat enim nemo, hunc morbum cùm vehementiorem esse, tum plures multò afficere, praecipiti hieme et ineunte vere, quàm aliis follet anni temporibus.

Hic morbus, et alii plerique, qui efficiunt

ut

ut papulis efflorescat summum corpus, tabo speciali, suo quisque, concitantur; quod præ varia indole, signa horum morborum cujusque propria efficit. Adeò verò subtile hoc tabum est, ut nostris sensibus percipi, aut explorari nequeat. Quocirca, qua naturâ polleat, deprehendere medici vel ingenio clarissimi nondum potuerint.

## CAUSA PROXIMA.

RUBEOLAE, haud secùs ac aliorum morborum, causam proximam cognoscere, medici summo studio conati sunt. Sed, quàm parùm processerint, satis ex obscuritate conficitur, quâ, haec res, quamvis ad medicinam excolendam tam necessaria, etiamnum involuta latet.

Ad nullam medicinae partem, majus studium curamque medici converterunt, quàm ad eam, quae proximas morborum causas prosequitur: nulla si optatò perquisita et perspecta,  
ad

ad medicinae incrementum, et hominum salutem plus conferret.

Ignorantia et errores hujusmodi causarum, quibus versati sunt medici et versantur, haud dubiè commiserunt, ut hi in diversas et contrarias curandi vias processerint, etiamnumque persequantur, et sic non obstiterunt modò, ne subtilius excoleretur medicina, verum aegris quoque exitium forsan haud rarò fuerunt.

Morborum et caeterarum naturae rerum, causas perspicere, nostrum fortasse captum exsuperat. Verùm cognitis tamen incrementis, quibus nuper omnes ferè scientiae paulatim auctae sunt, neque desperare neque socordiâ torpescere oportet. Causarum etenim morborum proximarum cognitio, si perattentè animadvertisendo hujusmodi causas reapse cognoscere possemus, nos ad optimam, quâ, morbi curentur, rationem dirigeret; neque profectò uti nunc, quâ ratione curandi sint, ex cognitis solùm juvantibus et laedentibus judicaremus.

Multi

Multi auctores magni nominis, et ex ingenio clari, haud sine ratione contendunt, proximam Rubeolae, Variolae, et caeterorum morborum, quibus efflorescit summa cutis, intestinum sanguinis esse motum, tabo speciali pestilente concitatum, eique profectò haud absimilem, qui in liquoribus fermentescientibus cietur. Haec opinio, quam, multis abhinc saeculis, RHAZES accepit, et quae, paucis mutatis, vel ad nostra tempora pervenit, primo aspectu haud absurdā, imò verisimilis, videtur. Radicitùs autem excussa objectis obnoxia est, quorum multa quae dissolvi nequeunt, eam juxtà, atque alias, solis conjecturis inniti ostendunt.

Qui hanc opinionem defendunt, ii putant, tabum pestilens, quo, Rubeola concitatur, efficere ut sanguis fermentescat, et quam hujus partem ad illius similitudinem converterit fermentatio, eam summo corpori deponi.

Huic autem rationi objici potest, sanguinem a quolibet Rubeolâ aegroto detractū, nulla re ab eo diversum esse, qui elicitur ex aegris,  
qui

qui aliis morbis inflammationem habentibus laborant.

Quinetiam, quies in quibusdam, in aliis commotio lenis, ut periculo compertum est, ad benè fermentandum admodum necessaria sunt. Nulla autem quies datur sanguini, qui, dum vivitur, irrequieto ambitu movetur, consumuntur et renovatur.

Urgente porrò Variolâ, pus non videtur cuti primùm deponi, sed potiùs hìc postea pus-tularum inflammatione ac suppuratione moveri; neque, premente Rubeolâ, lenticulae quibus variatur summa cutis, suppurationem omnino subeunt.

Denique fermentatione concessâ, multa figura morbi exponere nequimus; in primis quare hoc homines semel tantùm affiantur. Namque, quanquam sanguis, qui, sicut illi contendunt, fermentationem subivit, aliquandiu postea parùm aptus maneat qui fermentescat; tamen quum sanguis haud dubiè, quotquot eunt dies, mutetur, et, tempore haud longo, prorsùs re-

D novetur,

novetur, quid obstat, quò minùs sanguis per omnia novus, atque nullae cuius partes adhuc fermentatae sint, fermentationem subeat? Atque adeò, antequām sanguis potest, ex toto, renovari, Rubeola interdum eundem hominem iterū afficit, cuius profectò exempla a SYDENHAMO memorantur \*.

Alii sunt auctores, quibus videtur, tabum pestilens, quo Rubeola movetur, cutem stimulando prolem sui similem generare, quae, ut maculis varietur cutis, efficiat; atque nervos semel hoc stimulo incitatos, irritabilitatem, prae qua apti erant, qui eo incitantur, amittere, neque unquam denuo redipisci.

Prior hujus opinionis pars prorsùs conjecturalis est, nullis omnino argumentis confirmata, neque profectò, pars posterior ullos habet in se numeros veritatis. Quanquam enim concederemus, nervos hoc stimulo simul incitatos, ineptos aliquandiu futuros esse, qui eodem iterum

\* Vide SYDENHAMI Opera omnia.

iterum incitarentur, tamen nihil, quod scimus, est, quamobrem speciali quolibet stimulo fugace nervos, quod superest aevi, eidem prorsus inexcitabiles reddi, concludamus.

Quum, cognitis his objectis, opiniones, quas memoravimus, falsas putemus, neque aliam noverimus, quae per omnia vera est, confiteri, nos causae de qua disputatur, ignaros esse decet; et sperare, volventibus annis, res naturae perattentè animadvertisendo, medicos artem medicinalēm subtilius exculturos, et fore aliquando ut causae morborum proximae, juxtā atque haud ita pridem alia multa obscuritate itidem involuta, menti perluceant.

## PROGNOSIS.

QUUM, quid eveniat, incertum sit, ut tanti intersit medici, ut vera praedicat, oportet nihil de morbi eventu prius portendere, quam, quae notae bonae sint, quae mala, utrum illae

plus spei, an hae timoris, injicient, secum in animo consideraverit.

Si Rubeolâ haud lethali grassante, febris lenticularum praenuncia non vehemens fuit, bonum est; resolutis ac deciduis lenticulis, si supervenit modicum alvi profluvium, bonum iterum: si calor modicus et tolerabilis est, bonum id quoque: optimum denique est, et morbi ad sanitatem perventuri index, si summum corpus aequaliter totum leni sudore humescit.

Contrà verò gravis morbi periculum est, ubi magna vis febris ardentis lenticulas antigreditur, ubi dum his efflorescit cutis, intenditur; ubi iisdem decidentibus, non levatur quidem, sed aequè concitata continuat. Neque verò bonum signum est, continuâ fere tussi, et spirandi difficultate, graviter urgeri; mali etiam morbi testimonium est, habere pectus et praecordia inflammata, dolentia, dura. Periculosa alvus est, quae, sub finem, fluens vires dissipat, et conquiescere aegrum in cubili non patitur.

patitur. Pessimi etiam morbi signum est, lenticulas intus recedere, et protinus supervenire delirium; ad ultima verò jam ventum esse, et denunciari mortem, testantur lenticulae purpurae vel lividae, multi sudores, convulsiones, extrema membra frigida.

SYDENHAMUS censet, Rubeolam simplicem, si modò peritè curetur, omni prorsus periculo vacare \*. Ad ejus autem sententiam simpliciter accedere medicos idcirco non oportet, quod, apud vulgus hominum si valeret, ignorantia aut incuria medicorum, si fortè quem aegrum vis morbi absumeret, temerè accusarentur, atque fama benè parta immerito attareretur.

Quinetiam, sententiâ SYDENHAMI simpliciter acceptâ, non secus, atque haud rarò accidit, opus esset, quae hominum, cujusque sua, proprietates sint, animadvertere; idoneo regimine, corpora eorum, qui jam contagione labefacti sint,

\* Vide SYDENH. de Morbillis.

sint, quive in eo sint ut labefiant, apta reddere,  
quae levi morbo corripiantur.

WATSON indicia periculosa Rubeolae adeò  
expressè conscripta ante oculos posuit, ut ejus  
verba citare quàm vertere, satius putaverimus.

“ Of those who died, we lost few in the  
“ first stage of the disease ; several on the two  
“ or three first days of the second ; more be-  
“ tween the second and third week ; some in-  
“ deed died more than a month after their  
“ being first attacked ; of those who died,  
“ some sunk under laborious respiration ; more  
“ from a dysenteric purging, the disease having  
“ attacked the bowels, and of these one died  
“ of a mortification in the rectum ; besides this,  
“ six others died sphacelated in some one or  
“ more parts of the body.”

“ Two girls had ulcers in their mouths and  
“ cheeks, which last was so corroded by  
“ them, that the cheek from the ulcers within  
“ sphacelated externally before they died \*.”

Quando

\* Vide Lond. Med. Observat. and Inquiries, vol. IV.

Quando haec signa aegrum non premunt,  
et ea, a quibus morbus incipit, levantur, raro  
est quamobrem de futurâ salute desperemus.

## DIAGNOSIS.

RUBEOLAM aliis morbis, quibus cùm eâ signorum quorundam communitas est, <sup>dignoscere</sup> uti utilissimum est, sic non arduum aut difficile.

Quatuor omnino morbi sunt, quibus intercedit similitudo cum Rubeolâ, scilicet Variola, Varicella, Scarlatina et Catarrhus. Quibus itaque notis illa ab his singulis dignoscatur, paucis dicendum est.

Urgente Variolâ discretâ, summa cutis, tertio die in noctem vergente, papulis eminentibus efflorescit. Contra Rubeolâ, summa cutis, vesperascente quarto, imò interdum seriùs, lentculis vix saepe ne vix quidem eminulis variatur. Progrediente illo morbo, papulae in pustulas gibbas globulantur quarum humor lenescit,

tescit, albescit, flavescit, tandem in pus con-  
coquitur.

Lenticulae porrò, quibus sumnum Rubeolâ  
aegrorum corpus erubescit, postquam resolutae  
deciderint, non memores sui notas in cute re-  
linquunt; sed post Variolam foedissima in cute  
haud rarò vestigia manent. Huc accedit,  
quòd, Variolâ mitiore, febris, papulis erum-  
pentibus, levatur vel prorsùs desinit; at, piae-  
sente Rubeolâ, febris, provenientibus lenticulis,  
plerumque adeò non remittit aut finitur, ut  
increscat, et quàm antea, concitator continuet.  
Varicellâ impliciti, non, sicut Rubeolâ labo-  
rantes, destillatione afficiuntur; atque papu-  
lae, quibus sumnum illorum corpus, secus  
atque lenticulae quibus horum, erubescit, non  
solùm incerto tempore apparent, sed etiam,  
seriùs ociùs, in pustulas convertuntur aquoso  
humore plenas.

Scarlatinam et Rubeolam internoscere, pri-  
mo intuitu haud aequè facilè videtur. Illo  
enim morbo implicitorum, juxtà ac eorum qui  
hoc,

hoc, quarto die ab adversae valetudinis initio, summa cutis rubris efflorescit lenticulis, quas tumida intentaque facies antegreditur. Illi verò, secùs atque hi, praeterquam quòd leviore destillatione afficiuntur, imò quibusdam hujus signis, frequentibus némpe sternutantis, et pituitae ex naribus profluvio, omnino vacant, fauces rubras habent et dolentes. Praetereà, Scarlatina quàm Rubeola, pulmones inflammatione rariùs incessit.

Rubeola signis sibi propriis, tussi nempe sicca ac sonora, palpebris tumidis atque demissis, et lenticulis quibus, quatuor post dies, summum corpus erubescere facit, satìs a Cattarrho distinguitur.

Denique, medicum haud ignorare oportet, quis morborum, quibus quorundam communitas signorum est, viciniâ grassetur; nam, hoc cognito, ex parte similes cùm faciliùs tum certius discernere et internoscere poterit; neque quis medicorum parvi putet, morborum parte similium discrimen. Namque cùm apud

medicos vel observantissimos morborum discriminis studiosissimosque, errorem interdum creat similitudo, memoriâ teneant omnes, inexperti expertique, qui, discrimine neglecto nihilive habito, de morbo erret, eundem etiam de curatione erraturum, neque raro vituperandâ medicinâ commissurum, ut vel aegrius sanetur morbus, vel aeger miserandus ad plures migret.

## CURATIO.

QUANQUAM medicina nequit obstare, quò minùs eorum, qui contagione Rubeolae labefacti sunt, summum corpus constituto naturâ tempore lenticulis rubris efflorescat; tamen, adjuvante regimine, potest, signa levando, hunc morbum minus lethalem reddere.

Medico, cui curae est Rubeolâ implicitus, consilium esse debet, corpus minùs aptum reddere quod inflammationem concipiat; atque interea, graviora mala, quibus premitur aegrotus,

tus, levare. Qua ratione haec faciat, paucis dicendum est.

### CONSIGLIUM PRIMUM.

*TEMPERIES.* Calor vehemens, quippe cùm, uti periculo compertum est, febrem augeat, inflammationem pulmonum, si qua est, intendant, et sic in summum discrimen adducat, Rubeolâ laborantibus perniciousus est.

Verùm ex magna vi frigoris, haud minus discriminis timendum est. Non modò enim impedit, quò minùs lenticulae proveniant, verùm sternutamenta quoque, gravitatem in capite, pituitae ex naribus profluvium, caeteraque destillationis signa, molestiora reddit.

Quia autem, ut docet experientia, frigus variolâ aegrotis plurimùm proficit, id-circo non nulli, ex similitudine hujus morbi atque Rubeolae inducti, aequè hoc morbo correptis profuturum temerè concluserunt. In hac verò re, sicut haud raro accidit in multis aliis,

errorem

errorem creavit similitudo. Namque, etsi hi morbi, quoad signa quaedam, ex parte similes sint, tamen utrisque eadem per omnia curatio haudquaquam convenit. Quantum porro, haec similitudo postulare videtur, ut Rubeolâ aegri frigori objectentur, tantum alia similitudo, ea nimirum Rubeolae et destillationis, requirere ut frigus evitent.

Est igitur modus in temperie, neque ex Rubeolâ laborantibus salutarem mediocritatem impunè transilire licet.

*DIAETA.* Cibos ex infirmâ materiâ, et potus dilutiores, quales corpus neque multum irritent neque stimulent, esse oportet. Potus tamen, quibus acida admixta sunt, quippe cum tussim plerumque moveant vel augeant, non Rubeolâ aequè, ac Variolâ implicitis convenient. Aqua cocta ex hordeo, vel ex oryza, vel in quâ mucosa quaedam, gummi velut Arabicum, soluta sint, caeteris potibus anteferranda est.

SANGUINIS

*SANGUINIS MISSIO*, si magna vis febris, spiritūs difficultas, et praecordiorum gravitas, urgeant, plerumque necessaria est. Cùm verò inflammatio raro pulmones priùs capit, quām lenticulae apparuerunt, haud saepe opus est, ut defrahatur sanguis, dum hae provenerint. Et tunc quidem, ni requiratur, detractio differenda aliquantis per est, donec superveniant signa, quae eam desiderent.

Ex adultis tamen plenis, atque ad inflammationem pronis, sanguinem et priùs elicere, quām lenticulis summa cutis erubuit, ne gravia sint signa superventura, profectò haud inutile est.

SYDENHAMUS sanguinem ex iis Rubeolâ correptis emittendum non curabat, nisi mala pectoris increscentia desiderarent. Et profectò, ni hoc accidat, non videtur esse, quòd aegri jacturam vitalis humoris, atque dolorem ex venam abscindendo, paterentur. In teneris porrò infantibus periculum est, ne me-  
tu,

tu, quo sanguine seu venam feriendo vel aliis modis detracto, eorum animi perturbentur, febris exasperetur, potius quam molliatur.

MEADIUS, contrà, praecipiebat, ut, ineunte Rubeolâ, sanguis eliceretur, et SYDENHAMO errori vertit, quòd non itidem eliciendum curaret \*.

Satis autem constat, ex scriptis suis, SYDENHAMUM vel solitum esse, quoties vis inflammationis desideraret, praecipere, ut sanguis eliceretur †.

*PURGATIO.* Alvum catharticis, ex iis quae corpus refrigerant, salibus nempe neutris, emollire, multùm ad febrem, quae lenticulas antegreditur, levandam pollet, et, ni vehe mens haec sit, sanguinem mittere supervacuum faciet.

*BALNEUM.* Pedes, et crura, pube tenus, aquâ tepidâ fovere, utile compertum est, ut  
pote

\* Vide MEAD. de Morbillis.

† Vide SYDENHAM. de Morbillis anni, 1670.

pote quod non solùm febrem minuat, sed etiam, ut lenticulae, sicubi moram fécerint, promptiùs proveniant, efficiat.

*VOMITUS*, interdum, praesertim ipso Rubeolae initio, plurimùm prodest.

*EXULCERATORIA*, si magna vis inflammationis pectus ceperit, et si, recedentibus lenticulis, tussis urgeat, thoraci superimponere, multùm ad haec mala levanda, pollebunt.

*AQUAE TEPIDAE* vapores, aptae machinae ope, in pulmones inhalare, ad molestam tussim, sedandam, vel saltem levandam, efficacissimum periculo compertum est.

*PAPAVERATA*, quoties insomnia, inquietudo et tussis urgeant, ab aegro, ut ab his morbis levetur, assumenda sunt.

#### CONSLIUM SECUNDUM.

*ALVI PROFLUVIUM*, quod Rubeolâ inclinatâ, haud rarò supervenit, neutiquam continendum est, ni adeò praeceps sit, ut aegri vires labefactet,

factet, et dissipet. Quoties verò est, quamobrem alvi inflammatione concitari reamur, quò cohibeatur, sanguis est semel iterumque, at parcè, mittendus.

*PUTREDINIS*, signis nigris, scilicet maculis, quando ex quâvis causâ, oriuntur, vino, cinchonae cortice, et acido sulphurico, obviàm quamprimum eundum est.

Simul ut decessit Rubeola, utile erit lenioribus catharticis alvum compluries emollire, ne, ut hoc neglecto, haud raro, inflammatio oculos aut pectus capiat.

*TUSSIS* et *PHTHISIS*, si post Rubeolam, sine levamine continuent, optimè levantur exiguitate sanguinis detracta, leni exercitatione, diaeta parca, et aperto Jove. Neque profectò, ulla mora interponenda est. Namque, ut ait TISSOTIUS, “ il arrive souvent, que l'éloignement des secours, fait qu'on néglige trop les restes de la maladie, surtout la toux, et alors il se forme une véritable suppuration dans le poumon, avec une fièvre lente ; j'ai

“ vu

“ vu plusieurs enfans dans les villages perir de  
“ cette fac̄on.” \*

## INSITIO.

CAETERIS rei nostrae partibus absolutis, tantum restat, ut de Rubeolae insitione perpaucis dicamus, re sanè magni momenti, at cui operam medici nondum sat̄s novârunt.

Ut insitio, ad vim variolae mitigandam, non solūm efficiendo ut pustulae distinctae sint, sed etiam febrem secundariam arcendo, tantum potuit; ita, similitudine signorum cognitā, quibusdam medicis, imprimis HOMIO, insitione Rubeolam pariter mitigari posse, verisimile visum est.

Neque enimvero insitio, ab hoc praeclaro auctore tentata, secūs expectatione cessit. Ex periculis enim, quae fecit, compertus est, eos, quibus insita est Rubeola, minūs aptos

F

esse,

\* Vide TISSOT, Avis au Peuple, tom. I.

esse, quorum pulmones inflammatione afficiantur, qui que hinc detrimentum capiant aut absumentur.

Sed eadem experimenta ab aliis facta, non omnino ad spem responderunt.

TISSOTIUS, cui Rubeolam auspicatò inseri videndi occasio sublata est, laudibus prosequitur his verbis:—“ L'on a inoculé la rougeole “ dans les pays, où elle est très mauvaise, et “ cette méthode, auroit aussi de grands avantages dans celui ci; mais il en est comme “ l'inoculation de la petite verole, elle ne peut “ être utile au peuple qu' au moyen d'un hospital.” \*

\* Vide TISSOT, Avis au Peuple, tom. I.

